

hujusmodi adhuc dubium: Quicquid ponitur in uno aliquo prædicamento, illud est Ens per se. Atqui acervus lapidum, item exercitus, acervus tritici ponitur in uno aliquo prædicamento, nimir. in prædicatione substantiæ. E. exercitus & acervus lapidum erit ens per se. Conclusio hæc falsa est. Nam hujusmodi Entia per aggregationem ab omnibus referuntur ad Entia per accidens. Minor tamen verissima est. E. Major, quæ rursus ex definitione Aristotelica est extructa, erit sublesta fidei.

§. Dreierus *disput. Metaph. 10. §. 3.* conclusionem hujus argumenti non existimat esse falsam, adeoque hujusmodi Entia per aggregationem Entia per se esse statuit. Verum quia teste *Aristotele*, ex duobus vel pluribus Entibus in actu completis non potest fieri unum per se, ideò rectius hujusmodi entia per aggregationem ad Ens per accidens à *Svarezio* aliisque referuntur. Hinc nos huic argumento palmam porrigimus, & illud satis evincere dicimus, quod definitio *Aristotelica* non sit ex omni parte sufficiens. Unde nec descriptionem Entis per accidens, quæ vulgò id dicitur tale Ens, quod constat ex rebus diversorum prædicamentorum, tanquam bonam & cum definito suo convertibilem admittimus, ex hoc ipsò fundamentò, quia acervus lapidum, exercitus, Ecclesiæ, & alia hujusmodi entia per aggregationem reverà sunt entia per accidens, nec tamen ex rebus diversorum prædicamentorum constant; sufficit igitur, quod constant ex rebus in actu completis, ex quibus unum per se fieri posse ipse *Aristoteles* negat.

(2.) *Svarezii* definitionem quod concernit, est illa notatu dignissima & passim recepta. Dicitur autem ipsi Ens per se, quod habet præcisè ea, quæ ad essentiam, integritatem & complementum talis entis in suo genere per se & intrinsecè requiruntur. Et contrà Ens per accidens, quod importat aliquid, quod nec ad essentiam nec ad integritatem & complementum talis entis in suo genere per se ac intrinsecè requiritur.

§. Dicitur (1.) quod habet præcisè ea &c. ad significandum, cum Ente per se etiam alia conjungi posse, quæ tamen non præcisè ad essentiam, integritatem & complementum illius Entis intrinsecè requiruntur; sic v. g. in homine, qui est extra controversiam Ens per se, varia deprehendimus accidentia, v. g. risibilitatem, doctrinæ capacitatem, albedinem, extensionem &c. quibuscum si consideratur, non est ens per se, sed per accidens: hinc si dici debeat homo ens per se, tunc ipse est præcisè considerandus, quatenus sc. constat ex partibus suis essentialibus, materiã nimir. ac formã aliisque, quæ ad integritatem & complementum ipsius per se & intrinsecè pertinent. Unde probè notandum est, particulam præcisè posse accipi duplici sensu (1.) ut notet Physicam ac naturalem separationem, ita ut Ens per se illud dicatur, quod habet præcisè i. e. seorsim ac separatim ea tantum, quæ ad essentiam ac integritatem, talis Entis pertinent, & sic præter *DEUM* immortalem in universo mundo nullum datur ens per se, quod sc. ita planè ab omnibus accidentibus & extrinsecis adjunctis separatim sit, ut plura non habeat, quam quæ ad ipsius essentiam, integritatem ac complementum spectant. (2.) Potest eadem particula sumi, ut notet saltem mentis præcisionem & abstractionem, & h. m. homo & aliud quodvis ens præcisè sumptum, b. e. in suis puris essentialibus & iis tantum, quæ ad integritatem & complementum ipsius

spectant, consideratum, est Ens per se. Et hoc posteriori sensu intelligenda venit particula illa in definitione Entis per se posita.

§. Dicitur (2.) quæ ad essentiam, integritatem ac complementum talis Entis in suo genere requiruntur: ubi notanter tria hæc conjunguntur, quia præter ea, quæ enti alicui essentialia sunt, plura possunt concurrere ad Entis constitutionem, v. gr. partes integrantes & ipsa etiam subsistentia, quæ in substantiis ad illorum complementum facit, hæc, inquam, ut præcisè ad essentiam non spectent, quia tamen requiruntur ad Entis integritatem ac complementum intrinsecè & per se, ideò ens per se non autem per accidens constituunt. Signanter autem dicitur: talis entis in suo genere; nam si vel maximè quædam sint, quæ ad integritatem & perfectionem alicujus entis faciant, quod si tamen cum illo non sint in eodem genere, h. e. in eodem prædicamento, non possunt illa constituere unum per se, quemadmodum v. gr. accidentia quædam, qualia sunt eruditio, justitia, sapientia &c. faciunt ad hominis perfectionem & complementum, quatenus tamen cum illis consideratur homo, non constituit unum per se, ratio est, quia hæc non sunt cum ipso ejusdem generis vel ejusdem prædicamenti.

§. Dicitur (3.) per se & intrinsecè requiruntur; ubi per illud rursus excluduntur, quæ quovis modo rei accidunt; per hoc verò removentur cause externæ, efficiens ac finalis, quæ etiam faciunt ad rei essentiam, & dant ipsi quodammodo integritatem ac complementum, cum effectu suo tamen unum per se minimè constituunt. Atque ex hac declaratione definitionis Entis per se facile patet etiam, quomodo intelligenda sit definitio entis per accidens, cum opposita se mutuo illustrent & explicent.

§. Huic autem doctrinæ gravissimum obstaculum dubium Theologicum de persona Filii *DEI* incarnati desumptum, quod nisi removeatur, videtur evertere utramque definitionem. Argumentantur enim quidam hunc in modum: Quicquid constat ex aliquo, quod neque ad essentiam, neque ad integritatem & complementum illius per se & intrinsecè spectat, illud est Ens per accidens. Atqui λόγος s. Filius *DEI* incarnatus constat ex aliquo, quod neque ad essentiam, neque ad integritatem & complementum per se & intrinsecè spectat. E. λόγος s. Filius *DEI* incarnatus erit Ens per accidens. Conclusio hæc est Nestoriana ac heretica. Nestorius enim inter λόγος & humanam naturam accidentalem tantum unionem agnovit, adeoque Christus fuit ipsi ens per accidens. Minor tamen propositio negari nequit, habet enim λόγος s. Filius *DEI* sibi unitam humanam naturam, quæ neque ad essentiam ejus, neque ad integritatem ac complementum ipsius per se ac intrinsecè pertinet, aliàs enim Filius *DEI* ab æterno non fuisset essentialiter perfectus, quod vel cogitare de ipso impium fuerit & profanum. E. Major propositio, quæ nititur definitione Entis per accidens, non erit universaliter vera.

§. Huic igitur argumento ut satisfacerent, diu multumque insudarunt Scholastici simul & Orthodoxi Theologi. Ex Neotericis *Arriaga* non veretur asserere, λόγος s. Filium *DEI* esse incompletum quid in ordine ad humanam naturam adsumendam, adeoque cum ipsa constituere unum per se, quia sic humana natura requiritur ad ipsius complementum. Atque ita secundum ipsius sententiam